



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.



We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>











600048214P



3977 d.24



DANIELIS WYTTENBACHII
ORATIO

DE

PHILOSOPHIA, AUCTORE CICERONE, LAUDA-
TARUM ARTIUM OMNIUM PROCREA-
TRICE ET QUASI PARENTE.


*HABITA A. D. XXV. OCTOBRIS. ANN. MDCCLXXIX. CUM
IN ILLUSTRIS ATHENAEIS AMSTELODAMENSIS PHI-
LOSOPHIAE PROFESSIONEM AUSPICARETUR.*



A M S T E L O D A M I,
APUD PETRUM MORTIEN.
CIVITATIS ET ILLUSTRIS ATHENAEI
TIPOGRAPHUM.
M D C C L X X I X.



600048214P



3977. d.24



2 D. WYTTENBACH.

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRE-
TES ET PRAECONES, PRUDENTISSIMI,
DISERTISSIMI.

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES,
CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,
DOCTISSIMI.

CIVES ET HOSPITES RELIQUI, CUJUS-
CUNQUE LOCI ET ORDINIS, HONE-
STISSIMI, ELEGANTISSIMI, ACCEPTIS-
SIMI.

VOS ETIAM, ADOLESCENTES ORNATIS-
SIMI, QUI PER HUIUS SCHOLAE STA-
DIA AD INGENII DOCTRINAEQUE LAU-
DEM CONTENDITIS, FLOS JUVENTU-
TIS, SPES PARENTUM, PATRIAE, HU-
MANITATIS.



I quis umquam eorum, qui hunc in lo-
cum dicendi causa conscenderunt, ani-
mo fuit anxio & sollicito, is profecto
ego sum: eumque me esse, diffiteri haud quaquam
possum.

O R A T I O. 3

possim. Quod utrum ex consuetudine oratorum, qui timoris simulatione favorem sibi & audientiam facere solent, an ex re veroque dicam, Vestrum unusquisque intelligere facile potest, cum ex vocis meae sono, tum ex rei, quae agitur, momento ac difficultate. Nam cum ab omnibus iis, qui in hominum frequentia dicere adgrediuntur, expectatur, ut aliquid adferant, quod dignum sit audientium opinione ac spectum praesertim ab iis, qui se disciplinarum magistros profitentur, jure quodam postulatur, ut de sua quisque disciplina diserte copioseque dicat. Atque haec una cogitatio cum me tantopere commoveat, quid mihi animi esse putetis, cum ad eam aliae, eaeque haud minores, accedant sollicitudines? Equidem ingenue Vobis consilii mei rationem aperiã. Quum primus mihi nuncius allatus esset, de munere hoc ab Amplissimis Curatoribus & Consulibus in me delato, vehementer, ut par erat, animo laetatus sum. Postea,

4 D. WYTTENBACH

ut ille motus laetitiae paulatim refedit, ita paulatim animum meum tacito quodam timore sollicitari sensi. Ipse me tum reprehendere, & mecum, quasi cum alio, colloqui coepi. Quid, inquam, egisti? Quo processisti? Nimirum occupabis eum locum, quem, ante multos quidem annos, proxime tamen, Tiberius Hemsterhusius tenuit. Eique tu viro succedes, quem summa ingenii doctrinaeque virtus immortalitati consecravit? Quid porro? post talem tantumque virum tu quoque Philosophiam explicabis, illam omnium artium disciplinarumque principem & reginam; cujus tanta est magnitudo, ut, quamquam discendo docendoque multum in ea studii temporisque consumseris, ejus eam intelligentiam assecutus sis, quae ad timorem concipiendum satis valeat, ad fiduciam parum? Ex his tot tantisque curarum fluctibus, Auditores Humanissimi, quod nunquam speraveram, emerfi me tamen. Et quae res animum allevarent atque erigerent
meum

O R A T I O. 5

meum, duae in primis fuerunt : altera, constantia diligentiaque in persequendis laboribus : altera, recte factorum conscientia. Nam cum ab ineunte aetate incredibili scientiae incensus essem amore, idemque intelligerem non ita liberalem se mihi praestitisse naturam, ut, quod quidam possunt, aut posse se putant, solo ingenio scientiam assequi possem ; statui, quo minus ingenio valerem, eo magis labore, cura, vigiliis, assiduitate, niti atque contendere. Itaque scientiae quidem aliquid assecutus sum : quod, quantum alii existiment, nescio, mihi certe exiguum videtur. Quod vero maximum est, ex laborum conscientia fructum solatii cepi eum, ut certa me sustentaret spes, fore ut, si ex eo studio nil remitterem, magis magisque in dies votorum meorum particeps fierem. Haec igitur spes conscientiaque cum efficiat, ut tantum mihi onus imponi patiar, & ut mens mea tota unice sit occupata in eius muneris gravitate commentanda ; date, quaeso,

6 D. WYTTENBACH.

mihî hanc veniam, Patriae Patres, & reliqui Auditores Humanissimi, ut morem receptum, quo ii, qui docendi munus auspicantur, de aliquo ex sua disciplina capite docte & subtiliter disputant, hunc igitur morem relinquam, & hac quidem hora Philosophiae vitii populariter aperiam ex hoc uno dicto *Ciceronis*, quo eam vocat *Laudatarum artium omnium quandam procreatricem & quasi parentem*. Cedat igitur consuetudo pietati: cedat subtilitas officio. Alio tempore doctrinam, si quae in nobis est, expronamus. Nunc pietatem sequamur. Nunc una mentem officii cogitatio tenet. Nunc una ejus professionis magnitudo & sanctitas pectus meum complectitur totum. Haec tam late patet, ut non hujus horae angustiis, non unius diei brevitate, non totius anni cursu, vix universae vitae diuturnitate, explicari possit.

Totum hoc, Auditores Humanissimi, quod sapientiam ac doctrinam vocamus, ut omnes reliquae res,
duabus

O R A T I O. 7

duabus continetur quasi partibus; altera, materia; altera, forma. Nam, ut hoc utar, si magna copia cedi, marmoris, eboris, auri, uno confusa jaceat acervo, nullus ejus sit usus; nullus honor. Quum vero artificis ratio accesserit, quae modo distributioneque fabricetur aedificium, commodum ad habitationem & jucundum adspectu, tum vero artis opus ac perfectio intelligitur. Ita quoque ad comparandam doctrinam, primum, veluti materia, congerenda est rerum cognoscendarum copia & varietas; deinde, quod de hujus mundi machina egregie dixit poeta,

„ Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

„ Mens agitat molem, & magno se corpore miscet”

sic ad hanc rerum cognoscendarum congeriem mens atque ratio accedat necesse est, quae ei formam quasi motumque adjungat. Haec mens, quasi spiritus, postquam se magno corpori miscuit, illud continuo movet,

8 D. WYTENBACH.

vet, ad vitam excitat, foecundat, &, ad quamcunque partem ejus se applicuerit, ex ea praeclarum scientiae fructum gignit. Sed haec ipsa mens, tam efficax, tamque potens, quaenam est? quo nomine appellatur? Philosophia est, Auditores Humanissimi! Philosophia! Non ista, cujus vim ac rationem vulgo compendii alicujus angustiis metiuntur. Verum ea, quae rerum divinarum humanarumque omnium causas complectitur: quae, cum una sibi eademque constanter maneat, tamen ex materiae, in qua versatur, varietate varia nomina accepit. Nam, cum ad divinae naturae contemplationem se convertit, Theologia vocatur; in animi rationibus explicandis, Psychologia, in corporum viribus ac mensuris exigendis, Physica & Mathesis, in differendi ratione, Dialectica nominatur: eadem, in justis, aequis, officiorum, legumque vi ac natura explicanda, Ethica & Jurisprudentia dicitur: cum animantium structuram & fabricam,

cam, eorumque & conservandorum & curandorum rationem quaerit, Medicinae nomine significatur: cum rerum gestarum seriem, hominum, gentium, populorum, fata, vicissitudines, & conversiones, cum locorum regionumque situm ac naturam explicat, Historia & Geographia appellatur: eadem denique Oratoria & Poësis est, cum hominum mentes vel pulcri venustique specie ad virtutem allicit & commovet, vel turpitudinis & pravitatis deformitate a vitiis avertit atque deterret.

Sed ignoscite, quaeso, Auditores Humanissimi, verborum meorum tenuitati. Non possum Philosophiae majestatem quantam animo sentio, tantam oratione significare. Non cadit hoc vel in meam infantiam, vel in hujus horae angustias. Quare subveniatis meae imbecillitati, & Vobis ipsi Philosophiae imaginem informetis majorem, excelsiorem, augustioremque, quam aut mea, aut cujusquam oratione fingi adumbrarique possit.

B

Verum

10 D. WYTTENBACH.

Verum haec Philosophiae vis duplicem omnino fructum fert hominum mentibus: quorum alter est in rerum scientia, ingenio, & intelligentiae virtute; alter in rerum bonarum honestarumque studio, animi magnitudine, & voluntatis virtute. Et de priori quidem si verbum addam, vestris, Auditores Humanissimi, ingeniis injuriam facere videar. Est enim haec, & fuit ab omni aëvo, una & consentiens intelligentium vox, sine Philosophia neminem quemquam in ulla disciplina & arte aut proficere aut sapere posse. Posterius illud nunc a Vobis intelligi volo: Philosophiam esse procreantem virtutis, honestatis, & verae pulcritudinis, & artem quamque ita maxime esse laudandam, ut quaeque maxime Philosophiae normam ac praecepta sequatur.

Atqui Philosophia, cum causas omnium rerum complectatur, &, tamquam universae cognitionis ratio & mens, alta veluti coelestique arce habitet, nil procreat

O R A T I O. -11

creat nisi praeclarum, nisi egregium, nisi divinum. Igitur nimirum confecta res est: neque de hac ipsa parte nostrae orationis, verbum amplius faciendum: Philosophiae laus a singulis & universis agnoscitur, & uno ore celebratur? Imo contra se res habet. Non desunt, qui eam odio & reprehensione exagitent, ejusque studium religioni & bonis moribus damnum adferre clament. Qui quidem reprehensores si, ut sunt imperiti & inepti, ita pro imperitis & ineptis haberentur, non erat profecto quod eorum reprehensiones moraremur. Nunc vero sunt clamosi, temerarii, impudentes, suisque clamoribus vulgus hominum auferunt. Adeo misera est humani ingenii conditio, ut laudem & vituperium non ex re atque vero, sed ex opinione & rumoribus, aestimemus! Adeo cogitandi laborem fugimus, ut quod in promptu & ante oculos est non videamus! Philosophiam quis vituperare audet, illam sapientiae ac virtutis magistram, il-

lam vitiorum errorumque expultricem? Quam qui vituperet, nescio quid ille in rerum natura laudandum esse putet. Neque vero haec aliunde calamitas existit, quam ex ipsa hominum foecordia. Etenim Philosophia, quum rerum causas exquirat, non potest placere iis, qui opinionem magis quam veritatem sequuntur, qui ipsi sibi placent, ignorantiamque suam arrogantiae quasi velo obtegunt, quique suos sibi errores eripi aegre ferunt, ne parum sapuisse videantur. Hoc veritatis studium Socrati exitium attulit: hoc ei contraxit odia sophistarum, aliorumque, quibus inutile erat reliquos cives nimium sapere: qui, cum rationibus efficere nihil possent, eum in plebis invidiam vocarunt, & , quod apud eam plurimum valet, innovatae religionis crimine eum arcesiverunt. Est hoc hodieque Philosophiae fatum, ut suos habeat inimicos, suos sophistas, ut ei parata fiat imperitae plebis odia & criminationes.

Videamus aliam hujus calamitatis causam. Ecce! in vicina Gallia Philosophorum nomine & ipsi se jactant, & ab aliis insigniuntur, illi, qui religionem & virtutem tollunt, quique certissima sanctissimaque bonarum disciplinarum fundamenta labefactare conantur. Nos, ut sumus proclives ad aliorum, praesertim Gallorum, vitia imitanda, paulatim in eundem errorem inducti sumus; neque animadvertimus, cum loquendi temeritate gravissimum falsae ratiocinationis vitium conjunctum esse. Itaque videmus, quosdam vel ad nomen Philosophiae exhorrescere, neque levius quoddam malum eam esse arbitrari, quam disputatricem periculosam & audacem, quae rerum divinarum humanarumque doctrinam convellat. Quid vero, o boni! Medio aevo, in illis ignorantiae superstitionisque tenebris, si Theologi dicebantur non ii, qui mentes hominum saluifera doctrina imbuerent, sed qui in eorum corpora ferro ignique saevirent; ideo totam Theologiam ab-

jiciendam putabimus? Aut si, qui Jurisconsultos seferunt, jus atque leges non explicant, sed calumniando pervertunt; ideone Jurisprudentiam omnem exploremus? Medicam porro artem, quia, qua sollertia salutiferum remedium, eadem mortiferum venenum miscere potest, tamquam pestem & perniciem ex hominum genere tollemus? Igitur erga reliquas disciplinas hac utimur aequitate, ut ne ipsis hominum errorem tribuamus: erga Philosophiam non utemur? Imo vero magis etiam erga eam hac utamur aequitate, quo minus ipsa in hominum perniciem converti potest. Quid enim, quaeso, tandem illud est quod Philosophia nobis pollicetur? Nimirum, ut naturae cognitionem nobis aperiat: ut nos ex vanarum opinionum servitute in libertatem vindicet: ut nos a rerum humanarum illecebris ac ludibriis ad divinarum rerum studium convertat: ut nos contra varios vitae casus muniat, ad animi magnitudinem evehat, omnem-

nemque felicitatem in virtute ponere doceat: denique
 ut nos, quantum per humanam imbecillitatem fieri
 potest, ipsum naturae auctorem Deum imitari asue-
 faciat, eique nos similes reddat. Ab hac via officii
 sui Philosophia discedere numquam potest. Neque
 ulla umquam vis efficiat, ut is, qui rerum divinarum
 humanarumque causas earumque mirificam consensio-
 nem continuationemque perspexerit, eadem cognitio-
 ne in aliorum hominum incommodum perniciemque
 abutatur. Neque germanus est Philosophiae alumnus,
 qui, cum ejus studium prae se fert, aliud quidquam
 praeter veritatem virtutemque spectat: adulterinus ille
 est, histrio alienae personae, & pulcherrimi nominis
 raptor. Rerum quidem corporearum naturam consta-
 re sibi videmus: pondera suo nutu deorsum, non fur-
 sum, ferri: dies noctesque perpetuo sibi deinceps or-
 dine succedere. Res vero intelligibiles & morales,
 quibus Philosophia continetur, quae propius cum di-
 vina

16 D. WYTTENBACH.

vina conjunctae sunt natura, non legibus aeternis & immutabilibus regi putemus? Non igitur ex Philosophia existere quidquam potest nisi bonum & honestum: citius, profecto, conversis hujus mundi elementis, & terra mari misceatur, & mare coelo!

Age vero, jam illud ostendam alterum, nullam esse laudabilem neque in laudatarum numero ponendam artem, nisi quae a Philosophia proficiscatur. Hoc ejusmodi erit, non ut per omnes artes divager, sed exempli causa eas proponam, quae in communi hominum usu versantur; quo magis de reliquis existimare ipsi possitis. Quod dum facio, peto a Vobis, Auditores Humanissimi, ut, qua me adhuc audivistis benivolentia, eadem me porro audire ne recusetis.

Et primum quidem prodeat ea, quae suum cuique definit, & communis societatis vincula continet, Jurisprudentia. Facite quem leges omnes atque exceptiones in numero habere, sed eundem in formu-

lis

lis haerere, syllabas aucupari, atque jus omne in verbis & litigandi ratione ponere; nonne necesse fit, eum legis sententiam, modo ignorantia, modo voluntate, pervertere, huius repere, & ne suspicari quidem, quae sit vera juris natura & auctoritas? Facite vero eundem adduci in Philosophiae sacra; continuo, veluti sublimis propiorque factus divinae naturae, ex qua jus omne atque officium oritur, hanc primum contempletur: deinde ab ea, tamquam ex alto, mentem convertit ad humanam naturam, neque eam foro amplius litibusque metitur, sed universam complectitur, ejusque vim ac dignitatem perspicere incipit. Tum vero lux oritur: diffugiunt errores, opiniones, fraudes, calumniae: erigitur animus, leges officiaque ab aeterno divinoque ducit exemplo, & ad humanitatem communemque omnium felicitatem accommodat. Ex hac disciplina legislatores extiterunt, Lycurgi, Solones, Numae, Pythagorae, quorum leges & steterunt diu-

C

tissime,

tissime, & certissimam salutem civibus praestiterunt: ex hac juris interpretes, Platones, Aristoteles, Cicerones, Servii, Grotii denique & Montesquii: quorum, quamdiu non ab ipsa humanitate defecerit humanum genus, tamdiu nomina laudesque floreant.

Videamus porro de Eloquentia: cujus hoc est officium, ut homines cum doceat, quid verum falsumque sit, tum ad res utiles honestasque convertat, & a turpibus noxiisque avertat. Haec, si vim & vehementiam velit ostendere in levi minutoque argumento, non Eloquentia, sed puerilis & nugatoria loquacitas fit. Aut si, neglecta virtutis honestatisque commendatione, solam voluptatem oblectationemque spectet, non fit germana Philosophiae filia, sed spuria ejus imitatrix, & libidinum satellites. In tota Eloquentia plurimum valet simplex veritas & naturae ratio, minimum ars & simulatio. Non potest ex humili cogitatione sublime dictum existere: non potest angusta
 abjecta-

abjectaque mens veram & magnificam sententiam parere. Ex pectore profluat, necesse est, Eloquentiae flumen: pectus ante omnia naturae cognitione replendum: pectus, per hanc ipsam cognitionem, virtutis honestatisque amore inflammandum, & verae pulcritudinis sensu imbuendum est. Quid igitur causae fuisse dicamus, quod ab omni aevo tres soli perfectam Eloquentiae laudem consecuti sint, ex Graecis Pericles & Demosthenes, ex Romanis Cicero? Nimirum hi & soli & toti prodierant ex disciplina Philosophiae, quae sola veram dicendi vim procreat & alit. Nam fuerunt eorum aetatibus multi, & innumerabiles quidem, alii oratores, qui, quamquam studio & arte valerent, tamen in illius laudis societatem venire non possent. Magna fuit ars, magnum ingenium, in Æschine ac Sulpicio: habebat a natura uterque vocem sonoram & splendidam, actionem quoque oratoriam, gestum & motum totius corporis, qualis in nemine umquam

fuerat oratorum. Sed illa Philosophiae iis deerat vis, quae rerum divinarum humanarumque cognitione animum ad veram altitudinem extollit.

Cum Eloquentia magnam, vel potius maximam, conjunctionem habet Historia: cujus scribendae, cum aliae sunt leges, tum una omnium maxima, veritatis lex. Multum enim interest humanitatis, reges, & qui rerum publicarum gubernacula tenent, scire, sua facta non in obscuro latere, sed vere ad posteritatis memoriam proditum iri. Quare qui, verbi causa, tyranni res memoriae mandare adgressus, si quid ab eo haud male factum sit, illud ornet: scelera vero ejus & flagitia vel silentio praetereat, vel aliquo honestatis colore excuset, isne potius verus Historiae scriptor; quam fordidas fabulae auctor, habeatur? Ex isto genere fuit Philistus: qui, quum corpore jam, ut reliqui Syracusani, servus esset Dionysii, animum quoque suum eidem in servitutem addixit. Nam & in
mut-

multis rebus tyranno operam praestitit, & historiam ejus conscripsit, qua omnem ab eo crudelitatis superbiaeque labem abstergeret, contra laudem ei humanitatis clementiaeque adderet. Et tamen Thucydidem imitabatur Philistus? Nimirum verbis & oratione, quandoquidem sensibus & consilio similis ei fieri non poterat. Quid igitur inter utrumque interfuit? Hoc, profecto, ut Thucydides esset rerum gestarum enarrator verus, gravis, prudens, magnificus, libertatis studiosus: Philistus veritatis obscurator, fabularum opifex, vafer, argutus, haud inelegans quidem ille, sed idem animi vilis, fortunae captator, tyrannorum adulator. Igitur, quum natura & ingenio Thucydidis magnitudinem assequi non posset, arte & praestigiis nitebatur, ac Thucydideis verbis dictionibusque se quasi vestiebat. Quae quidem verissima est causa cur eum Cicero pusillum Thucydidem vocaverit. Atque hoc exemplo, Vos, Juvenes Commilitonesque suavissimi, discatis quid

fit Antiquos imitari; neque Vobis pulcri beatique videamini, quum orationem Vestram dictionibus coloribusque, verbi causa, Ciceronianis ornaveritis. Nam si Philistus Thucydidem, Graecus Graecum, aequalis fere aequalem, scribendi virtute aequare non potuit; quomodo nos, tot millium annorum intervallo, alia gente, alia lingua nati, heroicas illas Antiquorum in dicendo scribendoque laudes consequamur? In montis summitatem veloci gradu enititur vigenti robustoque corpore vir: hunc si fracti enervatique corporis homo imitari & assequi studeat, in ipso conatu deficiat, & risum praebeat spectantibus. Ita parva humilisque mens eam orationis sublimitatem, ad quam heroicum adfurgit ingenium, ne intelligat quidem, nedum consequatur. Nos, quamdiu Eloquentiam in verbis positam putabimus, quamdiu cum verbis Veterum non eandem atque illi vim adjunxerimus, quamdiu nos ipsi non ipsis Veterum disciplinis ad hanc orationis

nis sensuumque magnitudinem conformaverimus; tamen vana erit opera nostra, inanis diligentia. Aperendus est Philosophiae fons, ex quo unice Veteres dicendi vim hauserunt: ex eodem & nos mentes nostras cum verae pulcritudinis scientia repleamus, tum ad rerum excelsarum rationem studiumque acuamus.

Sed arctius etiam, iudice Aristotele, cum Philosophia vinculum est Poëseos quam ipsius Historiae. Haec quippe in factis & rebus singularibus versatur: illa in universalibus, easque revocat ad corporeas imagines, & sensibus quasi subjicit. Quo magis elaborandum est Poëtae, ut dignum se Philosophiae praestet alumnus, cum ratione & ingenio, tum animo, fine, atque consilio. Pictoris egregii laudem haud equidem tribuam Chaecephani, qui lasciviae libidinumque imaginibus delectare me velit: Panaeum potius celebremus, qui Marathoniam nobis pugnam ostendat, oculos vultusque incensos Miltiadis pugnantis, & Callimachi, Cynagiri-
que,

Atque Vos jam intelligere arbitror, Auditores Humanissimi, illud quod ostendendum mihi sumseram, vere appellatam esse a Cicerone Philosophiam, laudatarum artium omnium procreatricem atque parentem. Quamquam neque de omnibus artibus dixi: neque de paucis, quae commemoratae sunt, omnia exposui: quod quidem infinitum sit, non modo percensere oratione, sed percurrere cogitatione.

Quo magis timere incipio, Patriae Patres, quomodo muneri, quod in me contulistis, ferundo par sim. Octavus hic annus est cum in Remonstrantium Schola Philosophiae disciplinam suscepi: accideratque ea mihi provincia cum honorifica, propter ejus Scholae famam, tum jucunda, propter ipsam docendi voluptatem, qua humanissimus quisque maxime ducitur. Nunc Vos, Patriae Patres, quum post Hemsterhusii, summi viri, decessum, longo intervallo eandem disciplinam in Vestrum Athenaeum revocaveritis, eique me praefo-

ce.

ceritis, variis undique sollicitor curis; sive Vestram spectem auctoritatem, sive disciplinae gravitatem, sive meam tenuitatem. Magnam & semper habuit, & hodieque habet, Senatus Amstelodamensis virtutis sapientiaeque famam: neque eam Foederati Belgii finibus inclusam, aut Europae terminis circumscriptam, sed per totum terrarum orbem longe lateque diffusam. Quare, Patriae Patres, si quamcunque aliam mihi demandassetis provinciam, debebat ea mihi gravis sanctaque esse Vestri iudicii auctoritate. Nunc mihi disciplinam tradidistis Philosophiae, quae est veritatis virtutisque magistra, in cuius sanctitate & magnitudine commentanda hanc ipsam horam consumimus. Equidem cum non possim officii mei religionem, ut animo percipio, ita oratione Vobis explicare, mentem meam his paucis verbis complectar: Ita mihi, ad hoc munus obeundum vires largiatur Deus Optimus Maximus, ut eum enixe oro, velit Vos, Patriae Pa-

tres, in hujus civitatis & communis Patriae salutem diutissime servare incolumes!

Vobis vero, Clarissimi Viri, quos nunc primum Collegas saluto, quibus verbis animi mei sensus significem? Dudum est quod Vestra me doctrina Vestraque virtus ad Vos colendos convertit, & Vos me vicissim, vel favore & benivolentia, vel amicitia & familiaritate, complexi estis. Ad quem numerum Te quoque nuperrime accessisse, Walravi, Vir Clarissime, gaudeo vehementerque laetor, cum propter praestantem doctrinam tuam, tum propter insignem animi tui moderationem. Enimvero, Conjunctissimi Viri, ad has tantas necessitudines hic dies novum adfert vinculum, novum officium, sanctum illud neque umquam violandum: quod quidem ego colam amore, obsequio, observantiaque Vestrum: Vos, precor, idem erga me faciatis, monendo, favendo, communicando; ut & animorum

nostrorum conjunctione Scholae hujus emolumentum augeatur, & Scholae emolumento animorum conjunctio contineatur. Et quandoquidem hoc magis re ac factis quam verbis & oratione ostendendum est, hoc unum dicam, me in omni erga Vos officio, sive collegii, sive amicitiae, omnem semper operam daturum, ut Philosophiae praeceptis satisfaciam.

Neque vero fas mihi duco ex hoc loco antea discedere, quam Vobiscum peculiariter egero, Juvenes & Commilitones carissimi. Carissimos jure vos appello. Nam cum omnes amo, in quibus doctrinae amorem inesse video, tum magis etiam eos, qui ab ineunte aetate ad hanc se laudem dant, quorumque studia meae quoque fidei curaeque commendata sunt. Ecquid igitur mea oratio apud Vos valuit ad studium Philosophiae, parentis & procreatricis laudatarum artium? Valuit, profecto! si quidem tales estis, quales Vos esse, & Patriae & Vestrum ipsorum maxime interest. Vestrum

causâ Majores Vestri hanc Scholam constituerunt: Vestrum causâ Patriae Patres hos viros, claros in omni disciplinarum genere doctores, in eam evocarunt: Vestrum causâ Philosophiâ disciplinam in ea instaurarunt. Quare cum omnia Vobis praesto sint ad doctrinam adju-
 menta, facite, per Deum immortalem! ne Vos ipsi Vobis defuisse videamini. Magna Vobis Majores Vestri reliquerunt gloriae pignora, quae prodere neque tueri posse, turpissimum Vobis ducite. Cogitate quotidie Vos esse Batavos, id est, ex ea gente, quae singulari semper prae ceteris gentibus laude floruit fidei, gravitatis, constantiae: quae gens, ut servitutis jugum excusit, ita simul cum libertate studium doctrinarum literarumque induxit, earumque domicilium quasi in sinu suo collocavit. Vestri tum Majores quantum bellica virtute tantum ingeniis & doctrinis florebant, & vicini prae iis populi fere barbari videbantur. Nunc iidem populi hanc nobis doctrinarum laudem, ne gravius

vius quid dicam, dubiam reddunt: nosque eorum non tam virtutes quam vitia & levitatem confectamur. Quare agite, o Juvenes, convertite Vos ad Majorum exempla! neque Vos popularis vanitas auferat: neque Vos summa omnia consecutos putetis, quum, post de- cursa disciplinarum stadia, titulum & inane nomen ho- noris domum reportaveritis. Numquam, profecto, Ma- jores Vestri hanc Rempublicam ad tantum fastigium evexissent, si speciem & opinionem potius quam ve- ritatem & virtutem secuti fuissent. Hoc, Vos Juvenes, quotidie cogitate, cum omnes Batavi, tum in primis Amstelodamenses, quo magis haec civitas praecipuum Belgii Foederati columen est ac praesidium. Cujus quidem rei causa Deum Optimum Maximum conce- ptis imploro verbis: „ Tu igitur, Deus, Optime, „ Maxime, quandoquidem vestigia gubernationis tuae „ adoro, quod ex libera me patria in liberam patriam „ traduxisti, quodque disciplinam mihi tradidisti Phi- „ lo-

32 D. WYTTENB. ORATIO.

» philosophiae, quae & alumna est libertatis, &atrix
» virtutis, faxis, hoc munus ex Tua geram voluntate!
» Quod si a primo studiorum meorum ingressu feli-
» citatem semper in doctrina & virtute posui: quod
» si eodem animo hoc munus a Patriae Patribus sus-
» cepi: quod si denique per hanc ipsam orationem
» & menti meae sanctitas & verbis veritas constitit;
» precor, duxis prosperum meis consiliis exitum! Fa-
» xis, per Philosophiae praecepta ex mentibus Juve-
» num procreseat doctrina, quae firmis nixa radicibus
» fructus ferat praeclaros ingenii omniumque virtu-
» tum! Faxis, ex hac disciplina prodeant viri, qui
» patriam intelligentia, consilio, industria, animo,
» manu etiam, si opus sit, juvent ac defendant!
» Annue his precibus numen Tuum, Deus stator
» & conservator hujus Reipublicae”!

D I X I.



